

1723,2
8/
42.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

DE

EMANSIONE MENSIMUM,

Quam

ADSPIRANTE GRATIA DIVINA

IN ALMA REGIA ET ELECTORALI VIADRINA

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE CONSENSU

PRÆSIDE

DN. ANDREA OTTOMARO GOELICKE,

MED. DOCT. HUJUSQUE PROF. PUBL. ORDIN.

& h. t. FACULT. SUAE DECANO,

PRÆCEPTORE AC PROMOTORE STUDIORUM SUORUM

AETATEM VENERANDO,

PRO GRADU DOCTORALI

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS,

PRIVILEGIIS AC IMMUNITATIBUS, RITE AC LEGITIME

CONSEQUENDIS,

D. Novembr. M DCC XXIII. horis ante - & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

publico eruditorum ac solemni examini submittit

AUCTOR

SAMUEL CONRADUS ALLARDT,

Francof. Meso-March.

FRANCOFURTI ad VLADRUM.

Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.



PROOEMIUM.



Ritum ac decantatum est
verbum: *Omnem hominem*
natura morbum esse. Sunt,
qui *Hippocratem ad Da-*
magetem id perscripsisse
referunt; Reperti vero sunt & alii, qui
Democrito naturæ operum Scrutatori so-
lertissimo hoc effatum potius vindicant;
Quo ipso quippe miseram mortalium
conditionem describere, ac vivis quasi
coloribus depingere voluerit; Idq; usq;
adeo veritati consonum esse autumant,
ut vel ipsa experientia subnixum ipsis vi-
deatur: Siquidem tot morborum gene-

A 2 ribus

ribus misellum corpus hominum affligatur & concutiatur, ut, suffragio Divi Augustini, vix adhuc libris sint comprehensa omnia.

Quicquid tandem sit, quod de Auctore hujus dicti circumfertur, litem hanc meam hac vice non facio. Mihi sanè perinde fuerit, Hippocrati an Democrito illud vindicaveris; Hippocratem tamen talia protulisse, hactenus nondum mihi persvaderi patiar; humani saltem quid passum esse, si talia dixerit, persuassimum mihi habeo. Et, si ingenuè dicendum, quod res ipsa postulat, videatur mihi hoc effatum ad stabiliendum vulgarem errorem, per longam ætatem in Medicinam introductum, effectum esse, quo quippe sibi persuadent, hominem à nativitate ex insuperabili quadam necessitate, naturaliter, inclinare ad morbos

bos & eos quidem numero multos & specie
diversissimos: Ex quo longa serie talia
profluxere dogmata, quæ praxin eorum
clinicae valde reddunt suspectam; Cum
experiens constet, hominem à natura
(nativitate), ad finem vitae rarissime actu
conflictari morbis: Quod si tamen contin-
gat, eundem ægrotare, morbi sint &
numero & specie paucissimi, &, qui ri-
te aestimati, ex prava potius diaeta, per-
verso regimine, circumjecto aëre &c.
consequantur, quam naturali, quae fin-
gitur, ad aegrotandum dispositione.
Provoco ad quotidiam experientiam,
quae veritatem dictorum abunde com-
probabit. Lubens tamen concedo, so-
lerti comparatione diversos inter homi-
nes instituta, unum utique hominem
præ altero frequentius laborare morbis,
& iis quidem non tantum numerosiori-
bus, sed & specie diversis. Id quod ra-

tioni vitae, quam seqvuntur, *sexus*, *Temperamenti* ac *aetatum diversitati* adscribi debet.

Patet hoc in primis, quod sexum attinet, (nam omnia ordine considerare velle, praefationis limites non permittunt) si *mASCULINUM* cum *foEMININO* comparaveris. Quod elegans argumentum, uti *Experientissimus D.D. Praeses* in peculiari Dissertatione, in *Academia Halensis* ante complures jam annos ventilata, *de infrequentia aegrotandi in sexu sequiori prae virili, solide in genere discussit*: Ita vel solo *menstruorum muliebrium negotio* evidenter patet, quot quantisque incommodis, noxis atque periculis *sexus sequior* expositus vivat, à quibus *virilis* in totum liber est atque immunis. Quantae quoefo molestiae puellis, pubertati proximis devorandae sunt, priusquam *menfes*

ses efflorescant ? Et, si jam effloruere,
 quot quaeſo irregularitatibus & anomaliis obnoxii illi ſunt ? Imo quam levi
 de cauſa fieri potheſt, ut totalem ſui
ſuppreſſionem incurraunt ? Ex qua deinde,
 tanquam ex *Pandorae* pyxide, innumera
 alia mala prodeunt. Haec ipta autem
ſuppreſſio cum vulgari *Pathologorum* erro-
 re cum *emanſione* *menſum*, quam puel-
 lae, puberes quidem, ſed aequalē eo-
 rundem manationem nondum exper-
 tae, incurruunt, haud raro confundatur,
 dignum mihi viſum eſt hoc Thema,
 quod *ſpecimine Inaugurali*, id quod ho-
 nores Doctorales rite mihi ambienti e-
 dendum eſt, exactius diſcuteretur. Adſit
 modo nobis Divina gratia, &, quod
 molimur opus, ex voto ſuccedere jubeat !

§. I.

Quandoquidem de *Emanſione Menſum* in praefen-
 tiarum verba facere conſtituimus, parum ad
 iſtitutum noſtrum facere ducimus, ſi proli-
 xam

xam hujus affectus *Etymologiam*, more in Scholis re-
cepto, praemittamus, cum periti artis facile intelligant,
quem nam præcipuum & specialissimum ute-
rinorum affectuum hic intelligamus? Evidem
non ignoramus, tam latæ & amplissimæ esse diffusi-
onis totum hoc negotium menstruale, ut tertiam
propemodum partem morborum muliebrium ab-
solvat: Nos tamen, in medio relictis his omnibus,
& missis reliquis homonymicis & synonymous locu-
tionibus, ne nimium ex crescet nostra dissertatio,
duntaxat in ea fluxus hujus membrui affectione occupa-
bimus, qua prorogationem ejusdem denotare solent
Practici; Reliqua, quae de ejus *indole* & *natura* in ge-
nere dici possent, tanquam nota, hac vice prolixius
non enarraturi, nisi quatenus thematis nostri illu-
strationi inservire posse judicabuntur.

§. II.

Intelligimus itaque per *Emanzionem Mensum* stri-
ete ita dictam, illum adfectum juvenescentium vir-
ginum, quando secundum septenarium jam trans-
gressæ, tributum lunare, ut cum *Helmontio* loquar, seu
criticam illam uteri evacuationem, quam vulgo
Mensum fluxum vocamus, Graci vero *menstruina*, Ger-
mani, die Monatliche Zeit/ dicunt, non experiuntur,
sed justo longius illa *emanet*, & diutius quam pareat,
moras nec tendo, in conspectum non procedit, adeo,
ut de ejus provocatione ferme desperemus. Sive,
pleniū adfectum nostræ tractationis delineando,
denotamus per *Emanzionem Mensum* illud eorum vi-
tium defectivum, quo *menstrualis fœminarum purgatio*,
quæ secundum consuetum Naturae ordinem circa
finem secundi septenarii emicare solet, justo longi-
us protracta, anno dēmum *decimo quinto, sexto, octavo*
vel

vel *vigesimo*, non sine ingentibus incommodis variisque prosperæ valetudinis detrimentis efflorescere incipit. Unde statim patet, sermonem hic nobis non esse de *Emanſione mensum perpetua*, quam rarioribus exemplis foemellis quibusdam obtigisse, & quidem, quod mirandum, non modo sine ulla noxa vel detimento reliquæ sanitatis, sed &, quod mirabilius, absque præjudicio ipsius plane energiæ concipiendi, historiæ & observationes Medicorum testantur. Tanto vero minus de illa *mensum emanſione* loquimur, qua per *etatem* mulieribus, septimo septenario proximis penitus tandem cessant & subsistunt: Dennen es nicht mehr nach der Weiber weise geht: Sed in nimiam atque intempestivam eorumdem *prorogationem*, cum variis incommodis stipatam, digitum intendimus.

§. III.

Et cum familiari nimis Practicorum errore *Emanſio* cum *Obliteratione* sive *Suppreſſione mensum* confundi haud infrequenter soleat, tanto quoque solertius distingui inter ſe mutuo uterque affectus debet. *Suppreſſio* enim præſupponit uterinam excretionem, debito ordine naturæ legitime atque convenienter jam olim factam, quae vero nunc quacunque de cauſa *totaliter* sive *plenarie* ſubſtit, & quidem non ſine iuſto variorum inde expectandorum malorum metu: *Emanſio* econtra, primam adhuc floridi ac purpurei fanguinis eruptionem in puellis pubertati proximis affectat. Ab *Emanſione* denique *lochiorum* in puerperis & *retentione mensum in lactantibus* quoque hunc affectum discerni cupimus. Solet quippe *ibi* fanguis latens graviflma de cauſa in corpore hunc

B

in

¶ (10.) §.

in finem retineri, ut conversus partim in alimen-
tum, foetus in utero matris adhuc latentis nutritio-
ni subserviat, partim vero materiam lactis genera-
tioni suppeditare queat.

§. IV.

Nihilo secius inter *Suppressionem plenariam & emanionem mensum* ista manet convenientia, quod utramque sontica mala atque incommoda serius o-
crys consequantur. Et quanquam non aequae allu-
bescat, in causas naturales fluxus hujus menstrualis
foeminarum excurrere, vel absolutam ejus neces-
itatem in hoc sexu demonstrare: Non possumus ta-
men, quin paucis moneamus, ex singulari, quæ in
negotio conceptionis & nutritionis foetus foemi-
nis concredita est, destinatione satis patere, inevi-
tabilem ac plane necessariam esse hanc menstrua-
lem sanguinis per uterus evacuationem; Ea enim
de causa sexui huic majorem sanguinis concesit ab-
undantium Natura, ut non tantum ad alendum nu-
triendumq; proprium corpus sed ipsum quoq; foet-
um sufficeret. Ne vero hac ratione sanguis in
foeminis, extra graviditatis statum constitutis, ni-
mium accumularetur, tandemque plethora talis
aucta oeconomiae animali damnum quoddam infer-
ret, sua depletione indiget, quae deinde singulis
mensibus periodum suam repetit, & pro aetatis at-
que temperamentorum diversitate majori vel mi-
nori in quantitate ex genitalibus mulierum extil-
lare & excerni consuevit. Unde, si excretio ista
nimis tardetur atque ultra aetatis rationem protra-
hatur, variis incommodis atque affectibus morbo-
fis originem dare solet.

§. V.

Fluxus hic menstruus ordinariè *initium* suum ab anno decimo quarto dicit, quo quippe tempore pubescunt & ad propagandam prolem habiles redundunt foeminae; quamvis pro individuorum ratione hic terminus eruptionis variare admodum soleat. Observatione enim nonnullorum Practicorum fide dignorum constat, in quibusdam citius, nempe ante annos consuetos, & quidem in *regionibus calidioribus*, in personis *plethoraicis* vitaeque *laboriosae* operam navantibus, hunc fluxum menstruum prodire, in aliis vero serius. Quandocunque ergo accidit, ut circa istam statam ætatis periodum sanguis menstrualis non erumpat, sed diutius, ultra tempus scilicet ordinarium in corpore commoretur, facili negotio quilibet hinc mecum judicare poterit, quot & quantae ex hac *Emanione* infirmitates in corpore foeminarum prodire debeant, quibus, nisi statim in primis suis natalibus obviam eatur, & sanguini mature ad perruptionem via pandatur, haud raro accedit, corpus alias floridum ac purpureo colore perfusum, in *abjectum*, *pallidum*, *lividum* ac *plumbeum* colorem transmutari, imo *cachexiam*, *leucophlegmaciam*, *chlorofia* & reliqua prava confectaria, de quibus suo loco pluribus agemus, vestigia legere.

Suadet hoc ipsum perito Medico, ut hisce statim obviam procedat, ac veluti in primis herbis suffocet. Id quod obtinebit eo felicius, quo accuratius in *causas* horum & aliorum affectuum inquisiverit; Quod & nos jam pro modulo ingenii nostri facere conabimur. Cum enim omnis scientia,

solida in primis ac vera, juxta Philosophos, in eo potissimum consistat, ut rem *per causas cognoscamus*, eaque causarum consideratio nos eo deducat, ut ad investigationem ipsorum morborum, inventionem remediiorum & explorationem certioris methodi prior pateat aditus; non sane frustra agemus, si huic quoque disquisitioni aliquam nostrae disputationis partem concedamus. Docuit enim & docet adhuc nos hodie experientia, quantum damni omissa causarum consideratio in aegrotantes derivaverit & quot prohdolor homines e medio sustulerit? Neque potui satis haec tenus mirari, illorum sive simplicitatem sive temeritatem, qui *agyrts* potius ac *circumferraneis* quam *rationalibus Medicis* se submittunt, ab iisque auxilium expertunt, qui tamen, cum in causis morborum rite eruendis minus sint versati, ipsam quoque curam improvidè, juxta sua, quæ undique corraserunt, arcana aggrediuntur atque sic de humano corio, quasi glandula esset, saepe ludunt.

§. VII.

Causas itaque *Emanzionis mensium*, & eas quidem internas, quod concernit, illae tutissime tam in *materia movenda* & *emovenda*, quam in *viis*, per quas materia ista emoveri debet, quaeri possunt. *Materia emovenda* est massæ fanguineæ portio, cuius tamen & *quantitas* & *qualitas* hoc in passu laesa esse potest. *Quantitatem* quod spectat, ea quidem ex necessitate physica, ob rationem superius allegatam in sexu foemineo adesse debet, interea tamen menstrua sui depletione non imminuta, tandem plenioram gignit vitiosam, quae vasa nimium infarciendo fibras partium solidescentium inter se invicem comprimit, poros-

porosque & interstitia earundem ita coarctat, ut sanguini purpureo difficilis non nisi transitus concedatur, quo denegato ingens spissitudo sanguini inducatur necesse est, unde tandem infarctui, stagnationi & stasi, atque adeo actuali menstruorum retentioni via sternitur. Qualitas econtra five crasis laesa in eo refidet, quando sanguis nimium est inspissatus multis que mucidis, spisis ac viscidis particulis imbutus, quae omnia ad lentorem humores pedentim deducunt. Hinc tantum abest, ut ad uterum sanguis eo, qui ad plenam perruptionem requiritur, vigore feratur, ut potius regurgitet in viscera, sicque efficiat, ut vasa tono suo, five, ut aliis loqui placet, virtute sua elastica seu contractilitate priventur, sicque vitium viarum simul introducatur.

§. VIII.

Subjecta, *Emanzioni mensium* piae reliquis obnoxia, de temperamento ut plurimum phlegmatico & Melancholico participant, quorum illud ob laxitatem carnium & serofiorem sanguinis crasin ad humorum decubitum, hoc vero ad eorundem spissitudinem & infarctus inde metuendos disponit. Non tamen excludenda hic est vitae sedentariae ratio, animo imprimis profundo moerore occupato. Inter causas *externas* eminet frigus, aer imprimis *frigidus*; Hinc est, quod virgines, nudis pedibus per pavimenta frigida, corpore calente vel sudoribus perfuso deambulantes, vel in aqua frigida paullo diutius commorantes pertinaci *menstruorum emanzioni* ansam subministrent: Frigiditas enim humores condensat & incrassat, vaseque & meatus constringendo repulsioni eorundem favet. *Diaetam* imprimis *crassam*,

crassam, multum visciditatis mucidae subministrantem, uti sunt placentae calentes; panis jam demum cibano extractus, potulenta item inter prandendum atque coenandum parcus hausta &c. suam quoque hoc conferre Symbolam, extra omne dubium est. Talia enim diaetae virtus tam lentorem sanguini, quam spasticas vicinis partibus contractiones, quin veras stricturas inducere apta nata esse, quis est, qui ignorat? Unde tot querelas circa hoc menstrualis excretionis negotium ab ipsis hisce juvenculis proferri quotidie audias, quae ipsum plane errorem, quem in diaeta & regimine commisere, medico quidem specificare scient, interea tamen monitorum omnium incuriae aut saltem immemores, experientia ipsa pravisque successibus melius tandem edoceri debent, quae ipsa doctrina & amicis Medicorum persuationibus vix ac ne vix quidem emendari fese patiebantur.

§. IX.

Animi graviora pathemata, quanta polleant energia in hoc *Emanzionis mensium* negotio, me tacente, fatis abundeque ex Praxi clinica perspectum est. Superfedeo prolixius referre ea, quae à perversa *methodo curandi mulierculis* usitata, originem ducunt. Illae enim dum ultra colum sapere gestiunt, fluxum menstruum fortioribus pellentibus procurare intendunt: Solent sc. mulierculae, pro suo ingenio & iudicio muliebri, si difficultates quasdam circa hoc eruptionis mensium negotium persentiant, statim infusa quaedam herbacea ex Sabina, aliisque Sanguinem impellantibus remedii instar Theae portanda filiabus suis propinare, quibus & *Crocata, Aloëtica*

tica, *Myrrhata* aliaque *Emmenagogia* fortiora, aut
 calida spirituosa, orgasmum in humoribus suscitan-
 tia, jungere consuevere, quorum vim & potestatem
 in ciendis menstruis aut proprio olim in corpore
 expertae fuere, aut ab aliis cum successu in usum
 vocata audivere, quae proinde magnis verborum
 mangoniis extollunt atque sic puellis tanquam in-
 dubitata remedia commendare non verentur. Quae
 si ex voto minus succedant, sui similium, *Barbitonso-*
rum, *balneariorum*, quin *agyrtarum* atque *circumforaneorum*
 opem implorant, eoque ipso summam in misericordiam
 infantes tales puellas praecipitant; Qualis teme-
 ritatis specimen suis in *Observationibus Chirurgico-Medi-
 cis*, *Historiae Anatomiae & Chirurgiae* annexis D.D. *Prae-
 ses* attulit. Fateor equidem, quod haec & alia e-
 jusmodi pellentia in hac *Emanione Mensum* certo
 respectu adiplicari possint, si scilicet in ipsis adpli-
 candis justus habeatur ordo, humores nempe pri-
 mum fuerint correcti, & a sua spissitudine liberati,
 primae viae expurgatae, ipsumque excretionis or-
 ganon suo, quo laboravit, infarctu privatum. Qui-
 bus neglectis, non videmus, quomodo admitti vel
 tolerari queant, nisi sanguinem majorem in orgas-
 mum conjicere, ipsisque viis & organo, per quod
 menstrualis excretio succedere debet, pertinacio-
 rem infarctum inducere malint. Quae ornia tan-
 to certius in pejus ruere debent, si hisce *Vena* se-
 ctionem in *superioribus* perverse administratam superad-
 diderint, ipsaque lunae phases attendere morose negle-
 xerint: Unde tandem nihil aliud, quam refractaria *e-
 manatio* subsequi potest ac solet: Quia sanguini, e-
 rumpere annitenti, via ita est praeclusa, ut, si quam

ma-

maxime motus quosdam, ad excretionem tendentes adornaret natura, illi tamen sperato fine & successu omnes exciderent.

§. X.

Sunt denique, qui *fascinatione primam mensum eruptionem* ita *retardari posse existimant*, ut vel *in perpetuum* vel *ad certos tantum annos* in corpore foeminarum retineantur; Cui sententiae ut subscribamus, tanto majores deprehendimus difficultates, quo manifestiores *ut plurimum causae naturales* sese offerunt, a quibus *diurna talis mensum retentio* longe clarius, quam a *putatatio* incantamento deduci potest. Esto enim, *veneficas* tale quid *sub tortura* fuisse confessas; Aequo tamen parum fidei illas mere-ri arbitramur, ac si *eculeo impositae, glires vel mures vivos se fecisse*, faterentur: Nisi forte mediis naturalibus, pro effectu tali *suspensionis mensum* obtinendo, usas se esse, probatum dare possint, quae tamen adhuc tum prudenti penititatione indigent, ut clare tandem intelligatur, tanta pollere illa efficacia, ut menstruale puellarum negotium tam graviter laedere atque turbare queant, ut non modo *actualis sanguinis Menstrui eruptio* non sequatur, sed & ejus potius loco mirandae *translationes* cum insolitis symptomatis in conspectum producantur. Sanguinem namque foeminarum, rite alioquin fluxilem ac mobilem, fascinamento ita inspissari & incrassari posse, ut per vias atque meatus, undique licet liberos atque patentes, transmitti nequeat, facilius forte afferetur, quam solide demonstrabitur. Eadem sese offert difficultas, si vias atque vas a uterina, sanguinis menstrualis emissovi alias dicata, *incantamento* ita

ita coarctari atque constringi posse putetur, ut inevitabili quadam necessitate retineri in corpore debat. Sanguinem denique, qui circa pubertatis annos versus uterum a natura recte determinatur, per *fascinum* ab eodem ita averti posse, ut omnem potius vim aliorum convertat, & *insolitas translaciones* vel *regurgitationes* versus superiore affectet, cum valde enormibus motuum, ad *epilepticas* inusitatas quandoq; concussiones assurgentium, ataxiis, nemo quoque facile crediderit, qui foeminis difficulter menstruantibus ejusmodi motuum anomalias admodum familiares esse, experientia frequenti didicerit. Absit tamen, ideo tantum *fascinationis* effectum in *suspendendo ultra solitam aetatem menstruorum negotio* a nobis negari, quod modus, quo haec talia fieri possint, a nobis comprehendendi nequeat, sed quod, uti superius jam monitum est, causae naturales nullibi deficiant, a quibus longe rectius, quam ab *imaginario incantamento* inusitatam talem menstruorum emanationem derivare liceat.

§. XI.

Accedimus jam ad *Symptoma*, quae partim insensus unius cuiusvis incurunt, partim ex aegrae relatione facile innotescunt. Accedit his totius corporis ac omnium artuum gravitas & lasitudo quasi tensiva, quasi brachiis aut humeris ingens pondus quoddam affixum esset. Sensibus admodum manifestus est *habitus* totius corporis *Cacheticus*, qui tamen foedo & abjecto faciei labiorumque pallore cum palpebrarum tumore coniuncto sese impri- mis conspicendum praebet. Concomitantur has molestias circa pectoris regionem angustiae pre-

C

cordi-

cordiorum, palpitaciones cordis & respirandi difficultas, quam patiuntur in primis, quoties scalas vel alia loca acclivia ascendunt; sie beklagen sich, daß es ihnen nicht anders vorfahme, als wann sie augenblicklich ersticken solten. Nec immutare relinquitur abdomen, sed *exterius* dolores tensivi in dorso, lumbis & osse sacro cum sensu quodam gravitatis circa uteri regionem, interius vero appetitus prostratio, nausea, conatus vomendi, quandoque vomitus cruentus, pathemata hypochondriaco-hysterica aliaque sese manifestant. Circa caput cephalalgiae, hemicraniae, vertigines aliaque mala sese produnt.

S. XII.

Prognosis itaque hujus *Emansonis mensum* plus vel minus hic adesse docet periculi, prout Symptomata illi complicata vel graviora vel leviora sunt. Nunquam tamen vilipendat Medicus, ad aegrotantem talem vocatus haec symptomata, aut ipsum morbum negligat, ob pesima in primis conjectaria, quae ex neglecta ejusdem curatione oriuntur; Id quod *Divus Hippocrates* jam monuit, quando inquit: *Si menstrua non fluant, varii ex utero eveniunt morbi.* Et sane, quo diutius protrahitur *prima mensum eruptio*, eo difficilior successiva aetate provocabitur, imo, neglecta aut sero nimis instituta artificiali provocatione, jure metuendum, ne omnis tandem labor in irritum recidat. Pro diversitate tamen causarum nunc facilior nunc difficilior evadit curatio; Neutra tamen illarum sua caret difficultate, sed tanta interdum illae pertinacia medelae resistunt, ut, omni licet industria adhibita, raro tam-

men menstrua talia, ultra aetatis rationem *retenta*, provocari sese pariantur, imo potius in alios pestiferos & chronicae indolis morbos commutentur, inter quos caput extollunt *Cachexia*, *Anasarca*, vel *odemata pedum* tandemque *hydrops ascites*. Nonnullae talium puellarum in *vomitum cruentum*, aliae in *haemoptysin* vel saltem *pleuritidem* incidunt, quorum affectuum ratione subinde *phthisis* vel *lentas hædicas febres* incurunt.

§. XII.

Aliæ tentantur *affectibus arthriticis vagis*; In aliis menses ultra confuetum terminum retenti omnem suam efficaciam versus *mammas* convertunt, *tumorem*, *indurationem* & *Scirrum* illis inducendo, qui, si calidis acrioribus remediis praepostere irritetur, in *cancrum* subinde transire solet. Nec silentio praetereundum est, *menses* tales subinde insolitas affectare vias, per easque exitum moliri. Nuper virgo quaedam nobilis summe plethorica ex eadem hac caufa subito suffocata periit, quae Venaesectione tempestive administrata, tentataque provocatione & invitatione menstruorum ad ordinarium suum excretionis organon servari sine dubio potuisset. Aliæ in *chlorofysin* seu *febrim amatoriam* incident; Aliæ denique tam graviter mulctantur, ut in *Melancholiā* *hypochondriacam* vel plane in *maniam* vel *furorem* *uterinum* inde conjiciantur.

§. XIII.

Sed nolo his diutius immorari; Ad Praxin transeo. Et quemadmodum ex antecedentibus unicuique fatis luculenter constabit, quemnam specialem foeminarum menstruantium affectum con-

federationi simul atque curationi nostrae subjicere voluerimus; Ita & ea, qua possumus, brevitate, quae adhuc restant, Therapiam scilicet spectantia, eodem instituto prosequemur. Generalem ergo emanationis hujus curationem quod attinet, ea pro diversitate caufarum etiam variat. Ut vero causas ferè omnes hujus affectus ad tres potissimum retulimus classes, ad virtus nempe *quantitatis*, perversæ *qualitatis* & *motuum*, sive segnitie impulsus laborantium, sive aliorum *errantibus* eundem convertentium: Ita therapiam quoquè non inutiliter ad haec ipsa momenta reducemus, sanguinis nempe *quantitatatem* sive plenioram praesentem non tantum imminuturi sed & ejus *qualitatem* imo ordinatum ejus adfluxum ad loca, excretioni huic dicata, convenientibus remediis invitaturi, habito tamen simul prudenti respectu ad vias, si forte infarctu quodam illas laborare compertum haberet Practicus. Ad hos enim scopos provide illi respiciendum est, nisi plane *auscultare* agere aut paria cum agyrtis & Medicastris, qui medicamentorum applicatorum rationes nullas reddere possunt, facere, vel tritam plane viam calcare, omnemq; in fortioribus pellentibus, stimulantibus & emmenagogis salutem quaerere cupiat. Quorsum etiam suo quodam jure referenda sunt *draffica purgantia* & *spirituosa*, *oleosa* atque *volatile*: utpote quae MS. magis magisque in orgasticam ebullitionem deducunt, motus naturales pervertunt, turbant, totumque negotium intricatus atque impeditius reddunt. Longe rectius hac in re sibi suaeque famae consulet conscientiosus Medicus, si ad animi trutinam aureum canonem clinico-Practicum revocaverit:
Facit-

Facilius esse motus ordinarios inverttere, quam semel inversos emendare & ad organa locaque congrua revocare, suoque ordini restituere; Cujus quidem veritatem vel in hoc ipso menstruorum negotio multiplex experientia confirmat: Idemque Experientissimus D. D. Praeses in nupera publici juris facta dissertatione: De haemorrhoidibus turbatis suo ordini restituendis, solide deduxit.

§. XIV.

Quantitas ergo sanguinis, si urgeat corpus, metuaturq; ne orgasmus humoribus vel infarctus visceribus inducatur, ex fonte Chirurgico auxilium tempestive deppromatur. Ac licet dubio omni careat, maxime obtinendo huic scopo, plethorae nempe ventilandae inferire posse venae Sectionem: Sunt tamen hisce nostris in regionibus Medici paullo scrupulosiores, & vel odiosam quandam servitutem vel nescio quae pericula juvencularum talium cervicibus imminere praetendunt: Quorum tamen neutrum tantopere reformidandum est, dummodo tam ad locum, per quem sanguis mittendus est, quam ad tempus, quo actus talis ventilationis suscipiatur, perite attendatur. Et sicuti *evacuatorio* scopo Venae Sectione in *brachio* tempore *plenilunii* suscepta, intentioni medentis optime satisfaciet: Ita *derivatorio* fine versus *novilunium* in *pede* eandem administrasse conveniet. Hac enim cautela neglecta, plus damni quam emolumenti artificialis haec sanguinis ventilatio causabitur. Quod si vero tenerae quaedam nimisque meticulosae puellae venae sectioni se se submittere renuerent, ejus loco *Scarificationes* circa praedita loca debito tempore substitui possent, &c, si ve-

recundiae leges id permetterent, non appareat, quid impedit, quo minus sanguifugas labiis pudendorum cum fructu applicare liceat? Si enim *venis haemorrhoidalibus* applicatae, *haemorrhoidum* successui ansam dare possunt; Quidni *venis uterinis* admotae, pari felicitate mensium provocationi occasionem subministrarent? Sed ne novitates temere adfectasse videar, hoc remedii genus hac vice non aequa vehe-
menter urgeo.

§. XV.

Quantitate humorum sic imminuta, *qualitati* eorundem pari dexteritate obviam iri poterit, quae cum in spissitudine & visciditate maximam partem confistat, correctionem sui postulat, eaq; non tan-
tum potibus diluentibus sed & medicamentis re-
solventibus, attenuantibus & fano sensu aperienti-
bus, nec non motibus totius corporis, inprimis fac-
cussatoriis, obtinebitur. Ad resolventia & Aperi-
entia, ex fonte pharmaceutico petenda, referimus
non tantum Rad. Rubiae Tinctor. Taraxac. Ci-
chor. Curcum. & Pimp. alb. &c. Sed & herbas
Absynth. Cent. min. Marrub. Capill. Qis, Fumar.
Rorismar. Cufcut. una cum floribus Cheiri atque
Calendulae; adjunctis quoque evacuandi scopo Fol.
fennae S. S. Rhab. polypod. & Fib. Helleb. nigr. Ex
quibus pro lubitu Medici tam Infusa quam decocta
parare licet. Neque contemnendum praetabant
usum Salia digestiva, qualia sunt ♂ ♂ Etus, ♂ ♂ Etum,
♂ Absynth. Centaur. min. C. B. sal digestivum *Sylvii*,
sal polychrestum *Glaseri* aliaque talia. Alterantibus
substituenda sunt evacuantia, non tamen promiscue
quaelibet, sed quae simul sanguinem ad inferiora
invi-

invitandi potestate polleant, uti sunt pilulae *Staphylo-*
nae, Becherianae, quasque illis deficientibus, substi-
tuere solet D. D. Praefes. Quibus omnibus debito
ordine praemissis, nihil vetat, emmenagoga modera-
tiora subordinare sanguinemque ad uterum excre-
tioni menstruali destinatum modeste invitare, id
quod sale volatili oleoso *Sylvii*, cum essentia *Castorei*
maritata, citra praejudicium fieri potest. Suam quoq;
praestabunt opem infessus atque pediluvia, quae
quippe omnia, concinna ratione sibi mutuo subor-
dinata, florem tandem virginatum provocabunt. At-
que ne quis existimet, theoreticas scholarum specu-
lationes haec omnia tantum redolere, peritiae vero
practicae vim ubique desiderari, liceat mihi ex pra-
xeos meae primitiis exemplum allegare. Pauci elasti-
funt menses, ex quo felici admodum cum successu,
instituta aliquoties in partibus inferioribus venae
sectione, puellulam quandam Sanguineo-Cholericam,
in qua nondum menses emicuerant, quaeque insi-
mul variis symptomatis, tam doloribus spasticis
in regione abdominis, quam cephalalgii, lasitu-
dine & respirandi difficultate aliisque incommodis,
huic affectui familiaribus tentabatur, curae nostrae
subjecimus, quae hac practica methodo non modo à
mensium onere sed & complicatis insimul sympto-
matibus feliciter liberata fuit, ut de successu hujus
curationis in finu gavisus fuerim. Plura exempla,
quae Practici hinc inde adducere solent, & in libris
illorum pasim prostant, pede sicco praetereo.

§. XVI.

Praeter denominata interna, non omni quo-
que energia, mensium adfluxum & effluxum pro-
vocan-

vocandi, destituuntur externa, quorum praeter per diluvia antea jam commendata referenda quoque sunt *frictiones*, quibus & ligaturae extremarum partium à nonnullis accensentur. Alii magni hic etiam faciunt *Incessus* & *Balnea*, quibus ad umbilicum usq; ægrotantes insideant; Alii credunt, suffitus, fumos ac *habitus* muliebribus exceptos non parum facere ad humores dissolvendos, referanda vasa uterina, adque effluxum sanguinis promovendum: Hinc est, quod nonnulli hunc in finem *Colocynthidem* in suffitu adhibeant; alii cum *Ettmullero* suffitus scoriarum regul. antimonii, quae prius in spiritu vini dissolvuntur, & deinde lateri candefacto adfunduntur, ut vapor exhalans per infundibulum utero excipi queat, maximopere commendare soleant. Idem solo *myrrhae* fumo fieri posse, alii existimant. Sunt vero ex mulierculis plurimae, quae satis feliciter sibi menses prolicere posse, persuasum habent, si melissam recentem tibialibus vel sandaliis immitant: Quod & de herbae *persicariae* sub calcaneis gestatae, singulari energia depraedicant. Huc etiam specificie sabinam eiusque praeparata reducunt. Compertum tamen habemus, haec & alia majora damna, quam emolumenta corpori humano intulisse, quare tutius illis abstineri judicamus. Quid vero *artemisia rubra*, quae etiam sanguinem commovere creditur, efficiat, hoc loco non determinamus, cum de ejus efficacia aliquid insoliti adivisse aut ex praxi Clinica obseruisse, nobis nondum licuerit; Quare potius hoc ipsum simplex cuiusvis, maxime vero privatae nostrae experientiae reservamus. *Pesi* paullo rarioris in hoc *emanationis*

sionis negotio usus sint. *Angeli Salae* experimentum, qui helleborum nigrum pulverisatum nodulo sericeo muliebribus exceptum, magnis encomiis extollit, infirmo adhuc fulcro nititur. Paucis ut me expediam, mallem Practicos in universum ab externorum, potissimum vero suffituum, genitalibus muliebribus excipiendo, commendatione abstineret.

§. XVII.

Symptomata, quae *Emanzionem mensum* comitari solent, plenariam non admittunt curationem, nisi provocato eorundem fluxu, quo facto, ut plurimum sponte, sicut fumus in camino, sublato igne, evanescent. Si proinde motus spastici circa uterum partesque vicinas nimium urgere videantur, nitrofisis atque cinnabarinis sunt contemperandi. Petulan-
tius exitum molientes menses, vano tamen plerumque conamine, *Essentia Millefolii* cum *Esf. Chacarillae* juncta cicurabit. Regurgitantes exitumque per aliena loca tentantes ad organon excretionis ordinarium sunt revocandi; Id quod *pediluvii*, *frixi-
onibus extremorum*, *pilulis Stablianis* leniterque pellen-
tibus motusque ad uterum blande invitantibus o-
ptime fieri potest. Intercurrentes *phlogos* ant-orga-
nica & antispasmodica contemperabunt. Spasmos,
ad convulsionum usque vehementiam assurgentess,
ant-epilepticis sedare convenit. Ubicunque oede-
mata pedes occupare coeperint, non diu indulgen-
dum aut mora illis concedenda est, sed quanto-
cyus curandum, ut eorumdem progressui obex po-
natur: Quia metus est, ne tandem in statum hydro-
pico-asciticum miseras tales puellas praecipitent.

D

§. XVIII.

Nihil jam superest aliud, quam ut de *diaeta*
atque *regimine* hujuscemodi aegrotantium pauca
quaedam subnecamus. Utrumque ita comparatum
esse decet, ut, causis *emansione mensium* producentibus, sive quocunque modo foventibus, sit con-
trarium. Artuum inferiorum refrigeratio sedulo
semper vitetur. *Diaeta* fit laudabilis, eupepta, &c, ut
cum Aëtio loquar, non tantum quantitatis sed & qualitatis eduliorum habeatur ratio. Cane & angue pejus e-
vitentur panes calidi, è cibano demum extracti, ut
& placentae calidae nimiumque pingues: à nimis
saltis fumoque induratis piscibus aequa ac carni-
bus, fructibus item horreis & acidis abstineatur.
Pane utantur bene fermentato & semine foeniculi
aut Carvi condito. *Potus* fit sufficiens & cerevisia
bene defaecata ac diluens. *Somnis* & *vigiliae* mediocritatis limites ne excedant, motus corporis fit
placidus, & excreta, in primis alvina, liberum suum
habeant successum. Absurda appetentibus, quia
multum nocent, non facile exhibeantur: si tamen
desiderium ejusmodi puellarum aliter sopiri ne-
queat, cum *Sennerto* & *Primeroso* concedantur. Ne-
que torvo statim vultu adspiciendi sunt Medici, qui
ejusmodi puellis, *mensum emansione* laborantibus, vitam
conjugalem fvadent. Ipse *Hippocrates* & *Varendaeus*
talibus Venerem appetentibus aegrotis dulcem am-
plexum maritalem concedere, non dubitarunt. Te-
statur quoque *Riverius*, celeberrimus iste Practicus,
primam conjugii nocte, florem istum purpu-
reum in sponsis, quae ante hac nunquam eundem
fuerant expertae, provocasse. Graviora denique a-
nimis

nimi pathemata vitentur, moerorique & tristitiae nunquam indulgeatur. Absit ira & excandescens, & juberemus quidem exulare terrorem, in primis inopinatum, dummodo in potestate talium patientium foret, ut viam ejusmodi passionum animae evitare semper possent.

s. XIX.

Atq[ue] haec pauca fuerunt, quae hac vice de *emanione mensium* in medium proferre lubuit: Ceterum, cum, docente Galeno, *nunquam hallucinari, supra captum hominis sit*: Nos quoque speramus, quod, si quid vel ad historiae morbi illustrationem faciens, à nobis fuerit omisum, vel ob ingenium nondum satis subactum minusque in Praxi exercitatum, secus, quam oportebat, dictum, veniam tamen apud aequos benevolosque Censores simus impetraturi, cum nobis sufficiat, in hac materia diffusissima, summos saltem rerum apices attigisse. Plura enim & notatu procul dubio digniora, propediem, clinica nobis praxis, quam imposterum, annuente Divino Numine, exercendi animus est, suppeditabit; Cui propterea, pro concessis haec tenus viribus, gratias devotissimas persolvimus, idemque supplices rogamus, ut post haec sua quoque gratia nobis adesse dignetur, quo omnia nostra conamina cedant in ipsius gloriam & aegrotantium solatium. Huc enim tendere eoque in tota vita adlaborare, neminem unquam poenitebit.

FINIS.

Virgi-

PUrpureum florem dum prolectare puellis
Arte doces, pulcra TE quoque dote beent!
Adplaudent Nymphae, lauro TUA tempora cin-
gent,
Ac (nisi formides) suavia mille dabunt.

*Ita ominatur, atque Doctorissimo Domino
Doctorando, suo quondam Auditori per-
dilecto congratulatur*

P R A E S E S.

E Ludat Sexum quare sua Luna venustum,
Hujus Tu causam differis ore novo.
At studium nisi larga Tuum vindemia ditet
Illi causam dicere nemo queat.

*In honorem Nobilissimi & Modestiae ac Diligentie
laude commendatisimi Dn. Candidati Allardt,
pro Gradu Doctorali in Arte Medica conse-
quendo, publice disputantis, gratulabundus hac
adscripti*

J A C. H E R M A N N U S,
Math. & Ph. Nat. P. P. O.

Nobi-

Quod Mulier sit Homo, negitavit anonymous au-

tor, *

In Génesi capitisi quem quinti comma secundum,
Nec non humana ratio ratione refutant
Cum soli propriis Homini Symptomasi multis,
Foeminei quibus est Purgatio Menstrua Sexus.
Hanc quum pertractes calamo, rationibus, ore
Egregie, studium & specimen Tibi gratulor, optans,
Mensis ut emaneat praxi contrarius omnis,
Mensibus emanent contrá Tibi sostra quibusvis!

Εὐχαρίστει μέγα μισθούνει κακόν ἐστι γυναικες

ἡθονοι. αἰλαν κακή τη φύσει ἐστι γυνή.

Πλεισάνις αἴτιον εἰσὶ νοσέει. Τα εὐ γεάμασι δείνος,
μελανοδιάσπαλε, εδ. Εὗγε βραβεῖα λάζον.

Das Frauen-Zimmer ist ein Engel in der Welt/
Doch/ weil er irrdisch ist/ er in viel Weh versällt.
Dies weiset Ihre Schrift. Drum folget drauff die
Ehre/

Des Doctorats/ so han ein Physicat vermehre !

* Valens Acidalius. *Georg. Christoph. Waltheri (J.Cti) Post.*
*Harm. P. 1. p. m. 65. & 66. licet non autor, tamen e-
ditor istius libelli. Acidal. Ep. apologet. ad Jac. Mona-
vium p. m. 339. Photinianus aliquis tengario. Jac. Tho-
mas. Physic. c. 39. n. 24. & 25. p. m. 194. & 195. Cuja-
cius. Horn. Hist. Nat. p. m. 162. &c.*

αὐτοχεδίως, ἀλλ' ὄλοναρδίως
accinebat.

M. Gottlob Rothe,
Crosnâ-Sil. P. L. C.
Non

¶ (30.) ¶

Non semper quis, quod per alium facit,
Per se fecisse putandus est.

Der Ehren-Hut wird oft bey manchen unrecht ange-
bracht/
Fragt ihr/ wer ihn verdient? Der selbst das Prob-
Stück macht.

*Quum egregio eruditionis specimine suas orbilite-
rato probaret vires, longeque pro meritos capasse-
ret in Medicina summos honores, Praenobilissi-
mus Dn. Candidatus, gratulationis ergo hacte
scribebat.*

JOHANNES JUSTUS WESSELIUS,
Art. Mag.

Tuto qui satagit confestim pellere morbos,
Atque metum cordis flectere, ne titubet;
Arte fit excellens & promptus consiliorum,
Sic & consilium, auxiliumque feret.
Artium es dives, quod dissertatio fatur,
Facile consilium, nomen, ALARTE, docet.
Sic maturus eris praecellens consiliator,
Omine sic fausto prosper es ac *alacris*.
Palmae proemia nunc meritae decernit Apollo,
Sint TIBI felices! Annuat, opto, DEUS!

*Praenobilissimo & Doctissimo Dn. Candidato,
sincerum testaturus affectum apposuit.*

GOTHOFREDUS MICHAEL CORTUM,
Med. Cand.

Vir-

¶ (31.) ¶
Vrgineos, ALLARDTE, studes dum tollere mor-
bos,
Sana TIBI & dives praemia virgo dabit!

Dn. Doctorando, amico suo valde charo,
de Emanstone Mensium disputanti, ita ce-
cinit.

D. G. B.
M. C.

Tempora mutantur, nosmet mutamur in illis,
Herculea haec monstrant prospera fata Tua.
Tempus erat quondam, quo fata videre volebas,
Scilicet, ut *menses* saepe *manere* solent.
Tempora mutantur, fluxis emanfio vadit,
Et solet ad florem corpus abire suum.
Tandem nunc redunt quae tempora saepè fovebas
En! TIBI sudanti, splendet honoris apex.
Aspice! parta quies & gloria nacta cacumen,
Emerito TIBI dant ferta parata poli.
Ex animo laetus, tantos ego grator honores,
In laudem ut vergant Numinis, opto, sacri.
Ut cedant proprio decori patriaeque saluti,
Sic egomet voveo, Praefide vive Deo.
So willstdu dann anist/ Mein Bruder/ DOCTOR werden/
Wohlan! ich wünsche Dir Glück/ Heyl und Gottes See-
gen/
Apollo fröhne Dich mit Zweigen auff der Erden/
Und führe Deine Curen auff lauter Wohlfahrts Wegen.

Ita gratulatur pro Doctore dispu-
tanti Fratri, Frater

WILHELMUS JACOBUS ALLARDT.

¶ (o) ¶

48 (a) 38

Vigilie VI. ARDETE finge ihm jolles mit


soe

Frankfurt a. O., Diss., 7720-24



f

56.



Farbkarte #13

B.I.G.	
Black	
White	
3/Color	
Red	
Magenta	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	



1723,2
8/
92

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
**EMANSIONE
MENSIMUM,**
Quam
ADSPIRANTE GRATIA DIVINA
IN ALMA REGIA ET ELECTORALI VIADRINA
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE CONSENSU
PRAESENTE
**DN. ANDREA OTTOMARO
GOELICKE,**
MED. DOCT. HUJUSQUE PROF. PUBL. ORDIN.
& h. t. FACULT. SUAE DECANO,
PRAECEPTORE AC PROMOTORE STUDIORUM SUORUM
AETATEM VENERANDO,
Pro GRADU DOCTORALI
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS,
PRIVILEGIIS AC IMMUNITATIBUS, RITE AC LEGITIME
CONSEQUENDIS,
D. Novembr. MDCXXIII. horis ante - & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
publico eruditorum ac solemini examini submittit
AUCTOR
SAMUEL CONRADUS ALLARDT,
Francof. Meso-March.
FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.